

DISSERTATIO CHEMICA;

DE

SILICA EX SOLUTIONE  
ALKALINA PER BARYTAM  
PRÆCIPITATA;

---

QUAM

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONUNT

*JOHANNES HOLSTIUS,*

PHILOSOPHIAE MAGISTER,

ET

*ABRAHAMUS CAFANUS,*

OSTROBOTNIENSES.

In Auditorio Inferiori die XIII Maji MDCCCI,

horis a. m. confectis.

---

PARS I.

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,*

3.



SILICA EX SOLUTIONE ALKALINA  
PER BARYTAM PRÆCIPITATA.

**Q**ui ad experientiam vel minimam animum attendit non negligentem & incuriosum, neque animadversionem ejus effugere potest vis cuicunque corpori insita, qua ad unionem cum aliis sibi occurrentibus materiis saepe intimam efficiendam, & novum sic constituendum corpus, a partibus suis plane diversum & dissimile, adnititur. Hujus rei exempla offerunt olea cum sale alkalino commixta, quæ sapones, vel quartzum eodem cum sale fusum, quod vitrum format. Hac a vi, quæ nomen attractionis chemicæ obtinuit, omnes dependent compositiones partium, origoque igitur plurimorum, quæ in mundo observare licet, corporum ab eadem deducenda est. Quum vero saepissime accidat, ut corpus quoddam ope illius attractionis alterum secum copulans unionem hujus cum aliis principiis antea factam tollat; destructiones quoque & resolutiones corporum in partes suas eadem a vi proficiuntur. Itaque omnes effectus vel naturæ, vel artis, mirandaque phænomena saepe observata per attractiones principiorum, quæ corpora constituunt, explicanda sunt. Attractionibus igitur occultis & incognitis, studium chemiæ, quæ præsertim in compo-

sitione & resolutione corporum eorumque in se actione mutua & reciproca occupatur, nullo florere poterit tempore; nee prius ullum, quam eas confunduerit, suscipiat oportet laborem Chemicus: nisi velit in tenebris oberrare, omniaque casui, qui rarius felicem parat eventum, committere. Maximi igitur aestimandus est labor, quem in attractiones detegendas & determinandas impenderunt nonnulli illustres chemiae cultores: de quorum autem celebribus ingeniosis, laboribus indefessis, detectisque pulcherrimis ac plurimis scientiam gloriari quamvis liceat recentioribus temporibus; fateamur tamen oportet, nos a plena attractionum cognitione ac perfecta valde adhuc distare: quod tamen non mirabitur, qui numerum corporum, diversitatemque casuum in iisdem jungendis notam sibi habet.

Inter alias vero, attractiones terrarum mutuae hucusque attentionem chemicorum fere fugisse videntur; quas tamen exploratas & cognitas multum allaturas fore utilitatis, praesertim formationem lapidum respectu & partium & formae & virium, tam diverorum occurrentium lucidius illustratas, atque varia impedimenta analyseos ab iis forsitan derivanda quondam remoturas putamus. Terrarum per ignem facta conjunctio diu quidem jam nota fuit; nec defuerunt, qui ut gemmas artificiales procrearent eas ope ignis conjungere studuerunt; sed expe-

3

experimenta hæcce, et si attractiones terrarum mutuas primum manifestasse videntur, ad harum leges determinandas non sufficere potuerunt; cum vix eadem aliter ac via humida, qua mutationes corporum clarius perspicere licet, accurate detegi queant. Cum vero nuperrimis temporibus vis calcis silicam ex solutione alkalina disjungendi detecta est, simulque exploratum, decompositionem liquoris silicum per calcem effectam attractioni inter calcem & silicam reciprocæ tribuendam esse, nec a verisimilitudine multum discrepat, alias quoque terras similem producere posse effectum; novus hic aperitur campus experimentorum & detectorum. Cum calce vero barytæ natura maxime convenire videtur, ejusdem igitur efficacitatem in silicam a sale alkalino solutam periculis subjicere præsertim cupivimus, & cum in publicam experimenta nostra proferimus lucem, speramus, L. B. non ægre recordaturum fore, vires juveniles efficere non valere, quæ a peritis maturisque exspectare & postulare licet.

In experimentis, quæ ut vim barytæ in silicam inquireremus, jam instituimus, aqua barytam tenens solutam liquoribus silicum varia proportione admixta est; quo facto album semper obtinuimus pulvrem præcipitatum, qui ut pondus ejus inveniretur, in filtro collectus ac in media caloris temperatura siccatus est. Simul monere superfluum non judica-

A 2 mus,

mns, liquores mixtos in vasibus bene clausis ab actione aëris servatos, filtrationemque eorum per chartam porosam cito peractam fuisse.

Aqua barytæ, quam adhibuimus, ab aqua distillata, quæ puram quantum potuit, barytam solvit, præparata fuit. Ut quantitatem vero barytæ solutæ notam haberemus, hanc per acidum carbonicum ex 100 partibus aquæ barytæ præcipitavimus: cum pulvis vero præcipitatus ab acido abundante ex parte quadam iterum solitus videretur, illud per calorem ebullitionis separavimus, terramque post peractam ejus siccationem partibus 0,1350 æquivalere invenimus.

Sequentem adhibuimus modum liquorem silicium præparandi: 10 partes carbonatis potasæ et 2,5 partes quartzi in argillaceo crucibulo fudimus, & masam vitream in aqua distillata solvi fecimus.

10 partibus liquoris silicum ita parati acidum nitrificum, quanto usque ad saturationem opus fuit, addidimus; quo magna cum effervescentia gelatinosum separabatur præcipitatum. Hoc, humido evapora-to, siccum in filtro colligebatur, & omni salino ope aquæ additæ privabatur. Terra lota ulterius siccata est & pondere partes 0,274 effecit. Cum liquore hocce sequentia sunt instituta experimenta.

*Exp.*

*Exp. 1.* i partem liquoris silicum 72 partibus aquæ barytæ admiscuimus; quo facto liquidum laetescere vidimus. Postquam vero præcipitatum subsessit, pelluciditatem iterum recepit. Pulvis dejectus probe lavabatur, & siccatio ejus peracta, partibus 0,0713 æqualis fuit. Ex pondere præcipitati intelleximus terram adhuc in liquore solutam mansisse, quippe partes 0,0972 barytæ solutas tenent 72 partes aquæ. Maxima pars præcipitati ab acido muriatico cum effervescentia solvebatur.

*Exp. 2.* Liquori experimenti præcedentis addebatur pars i liquoris silicium; quo iterum præcipitatio facta est, & præcipitatum, quod lotum siccatumque 0,0371 partium ponderi æquale inveniebatur, dejectum. Liquidum jam separatum amplius turbare non valuit liquor silicum.

*Exp. 3.* Liquoris silicum pars i partibus 144 aquæ barytæ admixta præcipitatum 0,0700 partibus compar dabat. Experimentum hocce cum illo ratio comparantes videmus, æqualem liquoris silicium quantitatem præcipitatum pondere æquale efficere, sive plus sive minus aquæ barytæ eidem addatur, modo sufficiens sit ad præcipitandum.

*Exp. 4.* Liquorem limpidum ab experimento præcedente separatum ulterius turbaverunt 2 partes

A 3 liquo-

*Datus*

Liquoris silicum, præcipitatumque dejecerunt 0,141 partibus æquale. Quum vero hocce præcipitatum non multum differat a duplo pondere singuli præcipitatorum in Exp. 1 & 3 obtentorum, summaque præcipitatorum in Exp. 3 & 4 a summa illorum, quæ antecedentia obtulerunt experimenta; congruentia experimentorum horum evidens videtur. Diferentiam vero ponderum, quæ hic aliisque locis observatur, exiguum vel ab aqua ad lavandum adhibita, quæ ut in sequentibus docebitur, partem præcipitati solvere potest, vel ab acido carbonico sub ipsa filtratione se forsan insinuante, proficiisci autemus.

Alium liquorem silicum ita paravimus, ut quatuor partes potasæ (a Crystallis nitri per carbonem detonatis) omni acido carbonico ope calcis privaretur, solutioque ejus in vitrea retorta ad siccum evaporaretur; priusquam vero usque ad siccitatem evaporatio fuerit peracta, pars una pulveris quartzei addebatur. Maslam, quæ jam duobus partibus compar inveniebatur, in argenteo fudimus crucibulo, maximamque ejus partem aqua ebulliens solvit.

Ut filicæ quantitatem in hoc liquore solutæ de-  
tegeremus, 10 ejus partes acido nitrico saturabam-  
tur, quo præcipitatum gelatinosum separabatur, bul-  
ulas-

Iulasque nonnullas aëreas emisit; facta deinde usque ad siccum evaporatione, partibusque salinis aqua extractis, remansit terra silicea 0,381 partibus æqualis. Sequentibus in experimentis huncce per barytam decomposuimus liquorem.

*Exp. 5.* + partes liquoris silicum 120 partibus aquæ barytæ admixtae pulverem dejecerunt, qui lotus siccatusque ponderabatur, & 0,1131 partes effecit. Pars maxima præcipitati ab acido muriatico cum effervescentia disolvebatur, & 0,0225 partes tantum superstites remanserunt. Quum vero barytæ 0,162 & silicæ 0,1524 partes in liquoribus mixtis fuerint solutæ, magna adhuc pars terrarum in solutione restat. Naturam vero pulveris, quem acidum muriaticum fuscipere non valuit, inquisituri, idem in igne probaretur necesse judicavimus; & observavimus, eum & cum soda & cum borace ope tubi ferruminatorii fudi posse, pellucidamque formare gemmam, quæ majore adhibita parte alkalina humidum ex atmosphæra attraxit. Idem igitur pro silica habendus est.

*Exp. 6.* Liquori experimenti antecedentis collato adhuc adjungebatur pars 1 liquoris silicum, quæ præcipitatum dejicit 0,0325 partibus æquale.

*Exp. 7.* Pars 1 liquoris silicum adhuc præcipitatum

atum disjunxit a liquore experimenti 6. Præcipitato separato, liquidum nec aqua barytæ nec liquor silicum mutavit.

Quemadmodum calx, baryta idcirco quoque silicam ex solutione potasfæ sejungere potest; sequentia tamen monstrabunt experimenta, omnem silicam in liquore solutam ita dejici non posse. Simul patet 6 partes liquoris nostri silicum omni, quæ præcipitari potest, baryta 120 partibus aquæ privandis sufficere; hujus vero reciproca vi tanto, quantum disjungi potest, silicæ illas orbari. Hanc silicæ præcipitationem barytæ ad eandem attractioni, quæ vim ejus potasfæ adhærendi superet, tribuimus. In sequentibus res ulterius illustrabitur.

*Exp. 8.* Aquæ barytæ 40 partibus adjugebantur 6 partes liquoris silicum: præcipitatum, quod jam obtinebatur, post peractam lotionem & siccatiōnem partibus 0,080 æquale reperiebatur. Idem in acidum muriaticum immisum solvebatur exceptis 0,027 partibus, quæ tubo ferruminatorio tentatæ ut silica agebant. Præcipitatum igitur partes 0,053 baryticas continuit, seu omnem fere terram, quam aqua barytæ solutam habuit.

*Exp. 9.* 80 partibus aquæ barytæ admiscebantur 6 partes liquoris silicum, præcipitatumque efficerunt

cerunt siccum 0,1565 partibus par; cujus partes 0,0537, ceteris solutis, acidum muriaticum intactas reliquit, & siliceas fuisse nos judicamus.

*Exp. 10.* 120 partibus aquæ barytæ etiam 6 partes liquoris silicum addebantur; jam vero præcipitatum juste lotum & siccatum pondere 0,2141 partibus æquivalebat, & 0,0794 partes silicæ continere inveniebatur.

Silicam jam præcipitatam cum triplo pondere in experimento 8 dejectæ proxime congruentem, & duplum hujus pondus cum silica in *Exp. 9* disjuncta convenientem videmus; indeque concludimus silicam præcipitatam quantitati barytæ præcipitantis semper respondere, conjunctionemque harum certa in proportione fieri.

*Exp. 11.* Cum partibus 160 aquæ barytæ 12 partes liquoris silicium commixtae terram, quæ in filtro collecta & siccata partibus 0,291 æqualis fuit, præcipitaverunt. Partes hujus 0,104 in acido muriatico solvi non potuerunt, siliceæque idcirco fuerunt. Pondere præcipitati hic oblati cum præcedentibus comparato, congruentia experimentorum, quæ hucusque attulimus, facile videtur; quodque de attractionibus silicæ & barytæ ex antecedentibus colleximus, jam ulterius firmatur.

*Exp. 12.* Liquori præcedentis experimenti 40 partes aquæ barytæ admiscebantur, quo iterum præcipitatum partibus 0,0757 compar obtinebatur. Silicam in eodem partes 0,029 efficere reperimus.

*Exp. 13.* Residuo ex Exp. 12 liquori addebantur adhuc 40 partes aquæ barytæ, quæ præcipitatum 0,0757 partium quoque dederunt. Hoc probatum siliceas 0,026 partes tenuit. Liquorem filtratione separatum aqua barytæ ulterius non mutavit.

Quum vero liquor silicum in tribus jam proxime allatis experimentis silicam tenuerit solutam partibus 0,457 æqualem, baryta vero non nisi 0,159 ejus partes præcipitare potuerit, in liquore adhuc solutæ remanserunt 0,298 partes silicæ, quas aqua barytæ dejicere non potuit. Hanc silicam, et si in liquido simul restavit pars parva barytæ, fali alkalino tamen sociatum permanfisse, verisimile nobis videtur: probabilitati enim repugnat, partem barytæ in liquore adhuc solutæ valde exiguum partibus 0,298 silicæ a potassa disjungendis sufficere, cum tamen secundum Exp. 8.  $\frac{1}{2} = 1,963$  partes barytæ ad unicam illius partem præcipitandam requirantur. Judicamus igitur barytam partem tantum silicæ a solutione alkalina divellere; remanentem vero partem firmius potassæ adhærere, quam ut baryta illam disjungere poscit: cui hypothesi non parum robo-

roboris addit experientia, quæ testatur vim attrac-  
tionis, duobus mixtis corporibus, initio vehemen-  
tius agere, debilitari vero, quo proprius accedat  
punctum saturationis. Nec igitur defunt exempla,  
quæ nostram firmant conjecturam: sic enim calor-  
icum non omni acido, sed parte tantum carbonatem  
potassæ privare potest; acidum nitricum partem quo-  
que salium alkalinorum vel terrarum ab acido sul-  
phurico arripit; plurima autem exempla ejusmodi  
præbet oxygenium, quod corpora combustibilia non  
totum & perfecte, sed majori vel minori copia a com-  
bustis corporibus separant. Ut vero in omnibus rebus  
physicis, ita etiam hic experientiam adhuc consula-  
mus oportet, ut quid fassum, quid verum sit, certe  
statuere possumus.

*Exp. 14.* Partes 120 aquæ barytæ 240 a-  
quæ distillatæ partibus dilutæ miscebantur cum 6  
partibus liquoris silicum, & præcipitatum obtule-  
runt 0,1206 partibus æquale, in quo silica 0,0313  
partes effecit.

Cum vero præcipitatum quod antea (*Exp. 10*)  
eadem ex liquorum multitudine obtentum est, hoc-  
ce partibus 0,0935 superat; si de his acidum carbo-  
nicum barytæ inhærens detrahas, quæ restant, ad-  
ditas 240 aquæ partes solvisse, speciemque liquoris  
silicum per barytam constituisse oportet. In hac igi-

tur re quoque convenientia inter calcem & barytam  
apparet, quod singulæ ad silicam in aqua solven-  
dam conferant.

*Exp. 15.* Ut autem inquireremus, quænam in  
aquam barytæ sit vis silicæ a vinculo potassæ libe-  
ratæ, 16 partibus liquoris silicum 40 partibus aquæ  
dilutis tantum instillabatur acidi nitrici, ut solutiō  
indicia acidi exhiberet. Per calorem ebullitionis a  
solutione sub gelatinosa forma separabatur silica: qua  
ad fundum prolapsa, limpidus supernatans decanta-  
batur liquor. Partibus deinde salinis per repetitam  
aquæ calidæ additionem & decantationem separatis,  
perluciditatem præcipitati admissæ 160 partes aquæ  
barytæ mutaverunt: peractamque post siccationem  
pondus ejus 0,3999 fuit. Aqua autem calcis liquo-  
res decantatos turbavit, qui igitur partem abstulerunt  
silicæ. Valida cum effervescentia acidum mu-  
riaticum partem præcipitati solvit; immutatae ve-  
ro remanserunt partes 0,2349. Quum igitur partes  
160 aquæ barytæ teneant 0,216 partes carbonatis  
barytæ, in liquido tantum barytæ, quantum ejus  
0,0510 partes carbonatis barytæ fovent, solutæ re-  
mansit: quæ exiguam simul partem silicæ secum  
conjunxisse videbatur; liquor enim clarus addito a-  
cido nitrico super ignem ebulliens nonnihil tenuissi-  
mi depositus pulveris, quem pro silica habemus, et si  
ob exiguitatem ei probando locus non fuit. Expe-  
rimen-

rimentum hocce ulterius firmat attractionem inter terras baryticam & siliceam mutuam; nulla enim ad est causa, quæ barytam ab aquosa solutione divellat præter attractionem, qua ad unionem cum silica tendat. Novo simul argumento in aqua solubilitatem barytæ & silicæ adunatarum firmatam videmus.

Experimenta jam allata, quibus patet, partem saltem quandam a solutione potasæ disjungere posse barytam, vim silicæ & barytæ sese mutuo appetendi manifestam reddidisse videntur; si igitur hanc cum attractione calcis ad silicam conferre in sequentibus studuimus, a via deducti nos non videamur. In antecesum vero vim aquæ calcis in aquam barytæ explorari, necesse existimavimus, quem in finem

*Exp. 16.* Varia proportione aquas calcis & barytæ commiscuimus, nullam vero mutationem liquorum observavimus. Hac quamvis ex experientia licitum nobis non sit, negare attractionem vimque in fe reciprocam calcis & barytæ, certo tamen hinc colligimus, has terras, si uniantur, post conjunctiōnem suam in eadem solvi aquæ multitudine, quæ ad utrasque separatim solvendas necessaria est.

*Exp. 17.* 160 partes aquæ calcis 6 partes liquoris silicum præcipitare fecimus, & de præcipitato ad fundum prolapso supernatantem decantavimus liquo-

rem, in quo calcem adhuc solutam prodidit turbatio ejus per admisum liquorem silicum effecta. Aqua ad præcipitatum edulcorandum aliquoties ei addita & decantata, eidem admiscebantur 94 partes aquæ barytæ. Præcipitatum deinde 0,5244 partibus æquale in acidum muriaticum injecimus, & parte cum effervescentia soluta, insolubilem 0,1625 æquivalentem invenimus terram: solutionem acidam aquæ 160 partibus dilutam acidum sulphuricum perturbavit, sulphatisque barytæ 0,0830 partes dejecit; calcem denique per carbonatem potassæ separavimus, & pondus ejus 0,2685 partibus convenit. Si jam ut affirmat Illustr. KIRWAN tertiam sulphatis barytæ partem efficiat acidum, eandemque proportionem in carbonate barytæ efficere acidum carbonicum & aquam simul sumta, in præcipitato nostro invenimus

$$\begin{array}{r}
 0,1625 \text{ silicæ partes} \\
 0,2685 \text{ calcis } ) \\
 0,0830 \text{ barytæ } ) \\
 \hline
 0,0104 \text{ perditas} \\
 \hline
 0,5244
 \end{array}$$

*Exp. 18.* Per 120 partes aquæ barytæ 6 partes liquoris silicum decomposuimus; præcipitatum ut in ante-

\*) Observandum, & calci & barytæ hic ut reliquis locis acidum carbonicum adficiatum esse.

antecedente experimento a liquido liberavimus & edulcoravimus, eidemque 120 partes aquæ calcis addidimus; qua re præcipitatum obtinuimus, quod eodem, quo in præcedente experimento usi sumus, modo exploratum continere reperiebatur

0,0508	partes silicæ
0,0869	calcis
<u>0,0645</u>	barytæ
0,2022	

Quoniam autem antea exploratum est, calcem silicam a potassa omnem sejungere posse, jam vero repertum, partem tantum ejus præcipitare barytam, huic debiliorem, illi autem fortiorum ad silicam attractionem non possumus non tribuere; quam ob causam barytam locum cedere calci, non immerito putamus. Proxima autem duo considerantes experimenta videmus, connubium calcis & silicæ barytam adhuc appetere, & has terras simul uniri, triplexque formare compositum, id quod sequentia experimenta ulterius firmabunt. Quum vero in ultimo experimento præcipitatum, et si jam calx accessit, ponders respectu inferius sit illo, quod in Exp. 10 ex 120 partibus aquæ barytæ & 6 liquoris silicum obtinebatur; liquori a præcipitato sejuncto immisum est acidum sulphuricum, quod ad suspicionem nostram convenienter album partibus 0,0576 æqualem mox dejecit pul-

pulverem, qui quoniam sulphuris barytæ sit necesse est, intelligimus partem barytæ ab aqua rursus solutam fuisse, reliqua ejus parte una cum silica calcem secum conjungente. Dum autem summa  $0,0645 + 0,0576 = 0,1221$  quantitati barytæ, quam 120 aquæ partes teneant, etiamnunc non adæquat, aquam ad edulcorandum adhibitam deficientes partes suscepisse, necesse est.

*Exp. 19.* Liquori ex experimento 10 residuo admiscuimus 40 partes aquæ barytæ, quibus solutionis perluciditas permutata non est; quando vero 30 partes aquæ calcis ei additæ sunt, album & copiosum mox separatum est præcipitatum; hoc ad fundum prolapso solutionem aqua calcis adhuc turbavit, quamobrem 30 ejus partes ulterius instillavimus, præcipitatumque  $0,3000$  æquale obtinuimus. Ut partes præcipitati proportionemque earum inveniremus, quæ solubiles fuerunt, ab acido muratico solutas separavimus a terra insolubili. De solutione filtrata ac juste diluta per acidum sulphuricum baryta, & calx denique per carbonatæ potassæ præcipitata est; quo opere in præcipitato reperiabantur

$0,1068$  silicæ partes

$0,1347$  calcis

$0,0665$  barytæ

$0,3080$

Quæ

Quæ summa non multum differt a pondere totius præcipitati.

*Exp. 20.* Liquor ex præcedente separatus experimento limpidus cum 33 aquæ calcis partibus ulterius præcipitatum 0,131 partium obtulit, in quo fuit:

$$\begin{array}{l} \text{filica} = 0,0420 \\ \text{calx} = 0,0765 \\ \text{baryta} = 0,0166 \\ \hline \text{Summa} = 0,131 \end{array}$$

Aqua calcis nihil amplius mutavit liquorem collatum. Hæc experientia lucide monstrat, connubium inire calcem, barytam & silicam: & quod nobis objicere posse, præcipitationem nempe barytæ in Exp. 17 efficere potuisse acidum carbonicum, quo liquori silicum forsan adhærente calx inquinata fortasse fuerit, jam refutatum videmus; nec ullam invenimus causam, cui jam præcipitatio & barytæ & silicæ adscribenda sit, si negemus mutuam terrarum attractionem. Facta vero computatione, observamus liquorem in experimentis 19 & 20 tentatum barytam 0,0813 partium solutam fuisse, silicamque in eodem 0,1492 partibus fuisse æqualem, calcem vero ad præcipitandum adhibitum in priori 0,136 & posteriori 0,075: quæ non multum differunt

runt a ponderibus præcipitatorum obtentorum. Tres  
idcirco has terras conjunctas solvendi nullam fere  
propensionem prodit aqua.

His ultimis experimentis una consideratis, ob-  
servare simul licet, calcem semper maximam, bary-  
tam vero minimam partem præcipitati constituisse;  
proportionem autem de cetero partium diversis in  
experimentis diversam quoque fuisse. Inter alia igitur,  
quæ huc pertinent, hanc proportionem indaga-  
re certiusque determinare, operæ sane pretium es-  
set; quæ autem omnia futuræ sint inquisitionis ma-  
teria; explorata vero, censuræ Lectoris  
olim subjicienda.

